



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 1. Vtrùm peccat mortaliter Sacerdos administrans Sacramentum
in peccato mortali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

impedimentum interdicti, quàm defectus jurisdictionis; ac proinde vel utrumque præceptum suam obligandi vim retinet, vel neutrum. Congruam disparitatem non invenio. Nec consequutionem aliter vitari censeo, quàm negando practicè probabilem esse opinionem excusantem ab obligatione audiendi sacrum habentem Bullam Cruciatam, tempore interdicti: ut cum Navairo Soto, & aliis negat Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 88. sect. 6. §. Solet etiam. Nec in his casibus, ut bene ipse ait, cogitur quis uti privilegio; sed hoc supposito, cogitur servare præceptum, si divinum, si humanum, hoc enim discrimen per accidens in præsentia se habet: est siquidem qualis effectus formalis privilegii tollere inhabilitatem, & impedimentum, & hunc, in primo casu

interdicti, necessariò habet, & absque alio usu tollitur excusatio, & consequenter manet obligatio præcepti. Longèque certius esse debet pro illo conclusio, quàm pro confessione reservatorum: quia ultra Bullam requiritur, quoddam pœnitens positivè aliquid efficiat, nempe electionem Sacerdotis, ut jurisdictione ad reservata à Pontifice illi conferatur. Estque manifestè disparitas inter hunc casum, & illum de privilegio interdicti; nam in illo oblato impedimento, nulla postea dispensatio fit in jure, quod in casu confessionis secus fit. Quapropter auctores, qui primum casum practicè probabilem admittunt, nequeunt secundo consequenter dissentire, ne dum improbabilem dicere.

TRACTATUS QUARTUS

MISCELLANEVS, DE ALIIS

SACRAMENTIS.

QVÆSTIO PRIMA.

Virum peccet mortaliter Sacerdos administrans Sacramentum in peccato mortali?

P Ræfens quæstio omnibus Sacramentis communis est, idèquæ illam ad omnia in sequentibus dicenda, præmittere oportere pretium duxi. Ad cujus accuratam decisionem suppono primò, ex communi Doctorum sententia, contra Adrianum, & Martilium, Ministrum Sacramenti conficiendum peccati mortalis, non teneri ad conficiendum, seu ad ministrandum, confessionem præmittere, sed satis esse, quod actum contritionis eliciat. Solum etenim, ad recipiendam Eucharistiam, extat præceptum Christi Domini, procurandi statum gratiæ per confessionem, ut constat ex Tridentino Sess. 13. c. 7.

2. Suppono secundò, quæstionem procedere de administrante, & simul conficiente Sacramentum; v. g. Pœnitentiæ, aut Baptismi, non verò de administrante jam confectum, ut Eucharistiam: de hoc enim levior est difficultas. Suppono tertio, confessarium à contritione etiam præmittenda excusari, si extrema necessitas pœnitentis ita urgeat, ut nequeat moraliter se præparare ad contritionem eliciendam: hac enim necessitate occurrente, excusatur ratione impossibilitatis moralis se justificandi absque periculo damnationis æternæ pœnitentis, ut ex communi Doctorum sententia tradit Gaspar Hurtado de sacram. in genere, disp. 4. diff. 9. & cum Lugo, & Agid. Leander disp. 11. q. 104. & 105. Idem ego dicerem in aliis casibus, si præ angustia temporis non posset confessarius ad contritionem se disponere, & alias requirere differre absolutionem, absque gravi sui

Part II.

nora, & infamia apud pœnitentem, qui in noticiam pravi status confessarii devenire posset.

3. Suppono quarto, ex triplici tantum capite posse consurgere obligationem administrandi Sacramenta in statu gratiæ, nimirum ex præcepto divino naturali, semel posita institutione Sacramenti, vel ex præcepto divino positivo, vel ex humano Ecclesiastico. His positis. Difficultas est, utrum quando Minister Sacramenti potest moraliter actum contritionis elicere, seu per confessionem justificari; teneatur unum ex his præmittere, ut possit licitè Sacramentum conficere, seu administrare?

S. I.

Autorum sententia.

P Rima, & communis Theologorum sententia affirmat, teneri sub mortali, talemque obligationem consurgere ex præcepto divino naturali. Ita Vazquez tom. 2. in 3. p. disp. 136. cap. 1. ubi ait, esse constans, & indubitatum apud Scholasticos, quemlibet ministrum consecratum, qui in statu peccati mortalis Sacramentum conficit, peccare mortaliter. Et P. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 16. sect. 3. §. ultimo addenda est ratio. Ubi inquit, dubitari non posse, esse in Ecclesia præceptum prohibens ejusmodi administrationem in peccato mortali. Et Agidius Coninch de sacram. q. 64. num. 24. art. 6. dicens in hoc fere omnes convenire. Et contrariam sententiam esse improbabilem, inquit Leander à Sacram. tom. 1. tract. 1. disp. 4. quest. 9. Petrus de Ledesma, Turmanus, & Diana eos citans p. 10. tract. 16. resol. 27.

5. An verò ultra præceptum naturale divinum, detur etiam positivum divinum, vel humanum? Non conveniunt Doctores, Vazquez, & Suarez ubi supra affirmant, dari etiam præceptum humanum in jure Canonico contentum: contra verò Coninch, loco allegato ait: Fere convenire inter Docto-

Mm 2

763,

res, hanc obligationem conficiendi Sacramenta in statu gratiae non oriri ex aliquo praecepto positivo: nullum enim tale extat. Idem sentit Hurtado diffin. 9. citata. Ubi ait: Non esse prohibitum iure aliquo positivo humano, aut divino. Et quod tale praeceptum non sit divinum positivum, docet etiam Vazquez supra cap. 2. dicens, esse indubitatum apud omnes Scolasticos.

6. Secunda sententia absolute asserit, nullum esse praeceptum, nec naturale, nec positivum, divinum, vel humanum obligans administrare, seu conficere Sacramentum in statu gratiae, ac proinde Sacerdotem administrantem, seu conficientem in statu peccati mortalis, non peccare mortaliter. Ita expressè Croulers in Regulam Sancti Francisci, lect. 21. fol. 680 quem adducit Diana 6. p. tract. 6. Miscell. resol. 53. & quidam vir doctus, quem tacito nomine refert Navarrus infra citandus, & alii apud Turrianum in selectis, & apud Ludovicum de San Juan, quest. 5. de Sacrament. in genere, art. 1. dub. 1. conclus. 1. Ubi de hac sententia loquens, ait: * Sè que anda muy valida en algunos. * Illam sequuntur Llamas 1. par. sua methodi cap. 1. §. 5. pag. 4. & p. 2. cap. 2. §. 12. pag. 160. Ortiz in Sum. cap. 19. de 4. praecept. communivis, §. 3. fol. 183. Ubi ait: * El conflagra este Sacramento, y el darle à quien le recibe, si estas obras haze el Sacerdote en pecado mortal, no peca mortalmente. * Et Ludovicus de San Juan, quest. 8. de Penit. art. 1. dub. 1. disp. 2. pag. 503. & 504. retractans, quod dixerat quest. 5. de Sacram. in genere, art. 1. dub. 1. conclus. 1. ubi enim hanc opinionem vocavit. * Cosa harto miserable, y digna de llorar. * Et tamen postea quest. 8. citata, dicit: * Administra Sacramento en pecado mortal, no perdonado por la confesion, o contricion, no es pecado mortal. *

7. Hanc sententiam esse probabilem, responderunt consulti viri doctissimi. Et novissime dicit esse probabilem Marcus Vidal in Arca vitali, tit. de Ministro Sacramenti, inquisition. unica, num. 69. & 75. Ubi cum contrariam sequatur, concludit: * Attamen opposita etiam mihi probabilis videtur, quam apertè docet Croulers apud Dianam part. 6. tract. 6. resol. 13. legite illum, qui ad objecta in contrarium doctè respondet. * Hæc Vidal, cui faciunt Fr. Christophorus à Sancto Josepho infra citandus, & alii recentiores, & plures Doctores apud Dianam part. 5. tract. 13. resol. 63. asserentes, Episcopum conficientem chrismam, aut consecrantem Ecclesiam in peccato mortali, non peccare mortaliter. Tenuerunt etiam hanc sententiam (ut refert Sayrus de Sacramentis, lib. 2. cap. 7. art. 2.) Ledesma 1. par. quest. 5. art. 6. & Henricus de Gandavo in quodlibeto 6. quest. 30. affirmantes, posse Sacerdotem existentem in mortali ministrare, sine novo peccato, alia Sacramenta præter Eucharistiam, etiam extra casum necessitatis, dum tamen commodè aliis haberi non possit qui loco illius illa ministret.

8. Et saltem quod non sit praeceptum naturale, innuit esse probabile Agidius supra, dum ait: Ferè omnes in partem contrariam convenire. Particula enim ferè aliquos excludit. Et Suarez id manifestè sentit, qui a partem, quam sequitur, ait, esse verisimiliorem; ac proinde contrariam iudicat verisimilem juxta commune Theologorum sensum. Rursus, non esse expressum praeceptum, quo prohibeatur administrare Sacramenta in peccato mortali, docent Navarrus de Penit. disp. 6. num. 10. §. Ad secundum, & Granado tract. 6. disp. 15. nu. 7. cujus hæc sunt verba: * Quod Minister peccet mortaliter in admini-

strandis Sacramentis cum conscientia peccati mortalis, non est adeò explanatum, attenta efficacia rationis, licet certum sit propter auctoritatem.

9. Horum tamen aliqui existimant, Ministrum existentem in mortali, licet non teneatur se jubere ad conficiendum Sacramentum, tenei tamē dare aliquem actum displicentiae de peccato. Ita Christophorus à S. Josepho tom. 1. recept. quæst. dub. 18. de Sacram. num. 2. fol. 304. Ubi ait: * Temperanda est opinio hæc, quod Sacerdos debet habere aliquem dolorem suorum peccatorum, quem si non habeat, non erit nisi veniale sic ministrare, non verò mortale, ut novissime docet Croulers. * Sic ille, retractans, quod dixerat de peccato, dub. 12. num. 9. & 10. ubi hanc opinionem probabilē esse scripsit, fol. 38. Idem sentit Ludovicus de San Juan supra quest. 8. citata, ubi post alia ait: * De lo dicho se sigue, que aunque el dicho Ministro no sea obligado à tener contricion, à lo menos lo està à no tener complacencia actual, y à tenergun proposito de arrepentirse. * Alios supradictos nomine refert Leander à Sacramento tom. 1. tract. 1. de Sacram. in genere, disp. 4. §. 9. ubi asserit, aliquos recentiores, quos ipse in suis manuscriptis legit, asserere, non esse omninò improbabile, non peccare mortaliter Ministrum solemniter, ministrando in peccato Sacramenta, dummodo prius eliciat (si temporariū urgeat) actum attritionis, aut habeat aliquam displicentiam peccati à se commissi. Quod sentit Doctor Joannes Sanchez vir doctissimus, & Selectis disputationibus satis notus. Verum, si nec admittatur, non requiri contritionem, nec confessionem, per quam ad statum gratiæ restituitur, non apparet fundamentum ad asserendum sub gratia præcepto, necessariam esse attritionem, & non sufficere carere complacencia actuali de peccato. Et ita sentunt viri doctissimi à me consulti, & non excedit culpam venialem dicit Christophorus à Sancto Josepho ubi supra.

S. II.

Non datur praeceptum positivum humanum prohibens Ministrum conficere Sacramentum in statu peccati mortalis.

10. **P**raeceptum prohibens administrationem plenam Sacramentorum, in mortali, non est divinum positivum ex sola Dei voluntate impositum, ut indubitatum apud omnes Scholasticos ponit (ut diximus) Vazquez supra disp. 156. cap. 1. Cum enim tale divinum praeceptum nullibi pressum sit, nullusquè sit Scripturae locus, ubi contineatur, aut in quo Patres, & Concilia detestentur, contineri abique fundamento adferre poterint, contineri difficultas de praecepto humano patet. Tota igitur difficultas de praecepto humano situr: & licet, teste Agidio, ferè commune sit inter Doctores, non extare humanum praeceptum, repetitum tamen duxi, examinare decreta, & quibus adversarii illud adferre conantur.

11. Ex jure igitur Canonico praeceptum positivum humanum probant primo Suarez, & Vazquez supra ex cap. ultimo de temporibus ordinationum. Ubi Gregorius IX. sic habet: Sacerdotes, vel alii Clerici, qui per

reatum adulterii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientia recte perdidit: respondemus, quod si proposita crimina ordine judicio comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post penitentiam, in iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri; qui si non penituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini iudicii obtestandi, ut in testimonium sue damnationis, in susceptis etiam ordinibus, non ministrent.

12. Verum quis non videat, verba prædicta non convincere intentum in illis enim Pontifex non loquitur de Sacerdotibus, sed de aliis etiam Clericis, ut constat: inquit enim, Sacerdotes, vel alii Clerici, & hos omnes ait Pontifex, obtestandos sub interminatione divini iudicii, ut in testimonium sue damnationis, in susceptis ordinibus non ministrent. Ergo si ex his verbis colligitur, Sacerdotes graviter delinquere in administratione Sacramentorum, planè etiam convincitur, alios etiam Clericos non Sacerdotes graviter delinquere, si in statu peccati mortalis, in susceptis ordinibus ministrent: & consequenter Diaconos, & Subdiaconos peccaturos mortaliter canentes solemniter Epistolam, vel Evangelium in statu peccati mortalis; quod mordicus negant Suarez supra sect. 3. & Vazquez hic cap. 4. & 5. Villalobos, Valencia, Coninch, & alii, quos refert, & sequitur Diana 3. præst. 4. resol. 195. Imò nec venialiter peccare, contendunt Suarez, & Vazquez locis supra relatis. Item Quesnarij, & alii Clerici minorum Ordinù, graviter etiam peccarent, si in statu peccati mortalis suo munere fungerentur, quod, ut bene Coninch supra dub. 1. n. 41. videtur incredibile.

13. Propter hæc fortasse Vazquez supra cap. 4. n. 49. facit, prædictum Gregorij decretum valde difficile esse Quapropter illud ita explicare contendit, Sacerdotibus prohibetur ministratio, aliis vero a censuris ad alios ordines. Verum hæc explicatio omnino violenta est; quia de Sacerdotibus, & aliis Clericis loquitur Pontifex, cum inquit: *Per in testimonium sue damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.* Ergo omnibus æquè prohibetur ministratio in statu peccati, ergo vel omnibus graviter vel nemini.

14. P. Suarez disp. 16. sect. 3. §. De aliis vero duobus ministris, respondet, prædictum juris textum non condere novam legem positivam, sed tantum explicare naturalem. Bene: sed si id ipsi demus, malè quidem ex hoc textu, contendit probare præceptum positivum humanum. Rursus lex naturalis per talem textum explicata, æquè comprehendit Sacerdotes, & alios Clericos, ut ex ejus verbis constat: sed hos non obligat sub mortali, ut concedit Suarez, ergo neque illos. Igitur, ex hoc capite juris, nulla obligatio gravis, nec naturalis, nec humana induci potest.

15. Melius igitur Coninch ubi supra absolute negat, in prædicto textu contineri præceptum. Nihilominus, inquit, jure optimo Pontifex addidit verba illa: *Ne in testimonium sue damnationis ministrent,* quia cum ipso suo ministerio, profiteantur sanctitatem, testantur malè viventes, se dignos esse condemnatione. Sicut communiter dicere solemus, religiosum malè viventem à suo habitu condemnari: qua phrasi usus est Apost. ad Rom. 2. dum ait: *Se ipsos condemnare, qui faciunt, quæ in aliis damnant.* Facit ad hæc, penitentiam exactam à Pontifice, ut Sacerdotes peccatores in suis ordinibus ministrent, non esse contradictionem, seu dolorem de peccatis, sed penitentiam adjunctam, ut explicat ibi Glossa. Ex hoc igitur

Part II.

textu desumi nequit argumentum, ad probandum præceptum positivum humanum administrandi in statu gratiæ Sacramenta.

16. Secundo probant Vazquez, & Suarez ex cap. ultimo de cohabitatione Clericorum, & mulierum. Ubi Gregorius IX, dicit: *Quemlibet Sacerdotem pro mortali peccato, quoad se ipsum esse suspensum.* Quod, ait Suarez, non contingit, quia speciali Ecclesiæ censura affectus, seu impeditus sit; sed quia ratione sui status, & peccati impeditus est. Cæterum in hoc capite, ut ex terminis liquet, non imponitur præceptum, sed ad summum supponitur. Pontifex enim sic ait: *Verum, & si quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsum confiter, esse suspensum, non debet tamen in officiis evitari.* Hæc autem verba, qualemcumque insinuant obligationem, non eam de novo imponunt, sed supponunt. Peperam igitur adducuntur, ad probandum præceptum positivum humanum ibi injungi.

17. Respondeo secundò, in hoc capite tantum esse sermonem de Sacerdotibus celebrantibus, non de administrantibus alia Sacramenta, ut constat ex contextu. Casus enim sic se habet. Aliqui Clerici prolapsi fuerant in fornicationem: quæsitum fuit à Pontifice, utrum eorum officium esset audiendum, antequam peniterent? Et Pontifex respondit: *Verum, & si quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsum confiter, esse suspensum, non debet tamen in officiis evitari.* Illud enim officium, de quo interrogatur Pontifex, an sit audiendum ante penitentiam, non potest aliud esse, quam officium, seu sacrificium Missæ; quia de nullo alio potest proprie dici, quod audiatur à fidelibus, & quod existens in peccato sit quoad se ipsum suspensus ad illud ministrandum. Ergo quod in hoc capite, decernit Pontifex, est, Sacerdotem existentem in mortali non posse celebrare; si verò celebraverit, non debere ejus officium Missæ vitari, sed posse à fidelibus audiri.

18. Unde Lugo de Sacramentis, disp. 2. sect. 9. nu. 146. rectè notavit, utrumque textum à Vazquez adductum, pariter contra ipsum Vazquez pugnare: ac proinde responder, fortasse in his textibus sermonem esse de toto officio, & exercitio Clericorum, quod etiam in non Sacerdotibus non poterat totum esse absque culpa gravi, quia, juxta antiquos Canones, Ministri saltem altaris communicabant in Missa solemniter multis probat Suarez de Eucharist. disp. 69. sect. 3. Quo casu verum est, (ait Lugo) quod per quodlibet peccatum mortale erant Ministri suspensi ab exercitio completo, & integro suorum ordinum. Probat tertio Suarez pluribus Patrum testimoniis, quæ lubens omitto, quia illis optimè respondet Vazquez supra, convincens, non agere de digna Sacramentorum administratione.

19. Ex dictis clarè constat, nullum in jure Canonico contineri præceptum, prohibens Ministris consecratis Sacramentorum administrationem, in statu peccati mortalis.

(*)

M m 3

§. III.

§. III.

Quid de præcepto naturali Divino?

20. **N**egant tale præceptum Doctores omnes pro secunda sententia citati. Fundamentum fortasse erit, quia non est certum ex Ecclesiæ declaratione, ejusmodi præceptum existere, & aliunde nulla adducitur ratio in contrarium, cui non respondeatur probabiliter: ergo probabile est, non dari præceptum naturale divinum. Discursus videtur legitimus: antecedens probatur discurrendo per singulas.

21. Prima est Cajetani, quam amplexantur Suarez supra, & Thom. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 6. n. 4. qui existimat, præceptum naturale graviter obligans ad conficiendum Sacramentum in statu gratiæ inde consurgere, quod Minister sit per aliquod Sacramentum consecratus ad illud munus obeundum. Hanc verò rationem latè impugnat Vazquez disp. 136. citata, cap. 2. nec video, quomodo Suarez in illa quiescere possit. Quia consecratio Ministri non inducit obligationem jure naturæ, ut patet: nam Diaconi, & Subdiaconi sunt consecrati ad celebrandum solemniter Evangelium, & Epistolam; & tamen ipsi sunt Suarez, cum aliis, ne veniant, quidem peccare existimat, licet in statu peccati mortali canant. Secundo, quia Sacerdos in sua ordinatione non magis consecratur ad baptizandum solemniter, quam ad baptizandum sine solemnitate: solemnitas enim est purè juris Ecclesiastici; obligatio autem ministrandi Sacramenta in statu gratiæ, quæcumque illa sit, oritur per se, & intrinsicè ex substantiali ritu, ipsiusque Sacramenti sanctitate. Et sanè incredibile videtur, quod solemnitas accidentaliter juris Ecclesiastici omnino extrinseca Sacramento possit per se Ministri sanctitatem, quam Sacramentum ipsum per se non exigit: sed Sacerdos in peccato mortali baptizans sine solemnitate non peccat mortaliter, ut tenent Durandus in 4. dist. 5. q. 2. art. 1. Valentia de Sacramentis in genere, disp. 3. q. 5. punct. 1. & cum S. Thoma, Richardo, Sylvestro, Cajetano, Soto, & aliis docet Suarez disp. 16. citata, §. Nihilominus. Ergo ex eo, quod Minister sit consecratus ad aliquod munus obeundum, non benè deducitur gravis obligatio, jure naturæ ministrandi in statu gratiæ. Et ita expressè tradit Castro Palao tom. 4. de Penit. tract. 18. disp. unica, punct. 5. n. 11.

22. Secunda ratio est Sancti Thomæ, qua utuntur Vazquez supra cap. 3. & Meratius tract. de Sacramentis, disp. 8. sect. 2. qui præceptum naturale ex eo probant, quod Minister Sacramenti debet conformari sanctitati ipsius Sacramenti, quod conficit, & ejus primario Auctori, cujus, ut principalis agentis, instrumentum est, ejus nomine agens, & vice fungens: ad hoc autem requiritur status gratiæ, cum tam Deus, quam Sacramentum sanctum sit. Verum hæc ratio faciliè etiam infringitur ex dictis, quia Sacerdos baptizans sine solemnitate, est minister Sacramenti, & justificationis; & tamen non tenetur sub mortali se conformare sanctitati Sacramenti, neque ejus primario agentis, cujus est Minister, instrumentumque, ut docent Doctores numero præcedente citati. Igitur ratio conformitatis non sufficit ad inducendum præceptum naturale, de quo disputamus. Urgetur ex D. Thoma in 4. dist. 5. quest. 2. art. 2. ad qu.

4. Ubi non incertum, sed tanquam probabile tra-

dit, Ministerium Baptismi debere esse in statu gratiæ. Ad quartam inquit, quæ sit dicendum, quod quæque in peccato mortali exstent exhibet se Minister Ecclesiæ, etiam in quocumque spirituali peccato, secundum quorundam opinionem satis prohibetur, & ideo Sacerdos baptizans cum solemnitate Ministerium Ecclesiæ se exhibens peccat mortaliter. Quibus videtur relinquere probabile contrarium.

23. Secundò impugnat: quia laicus baptizans in casu necessitatis est minister Baptismi ex institutione Dei, ejusque auctoritate instructus minister, ut ipse Vazquez fatetur supra cap. 3. num. 31. & citat D. Thomas in 4. dist. 17. quest. 3. art. 3. quest. 2. n. 1. * Baptismus, qui est Sacramentum necessitatis debet duplicem Ministerium. * Et tamen laicus non tenetur sub mortali se conformare sanctitati Sacramenti, & ejus primario agentis, cujus est instrumentum, ut præter Doctores pro Sacerdotibus citatos, item Granado, Henriquez, Prepositus, Cabrera, & alii quos refert, & sequitur Diana 5. p. tract. 3. r. 15. §. 2. go ex eo, quod Sacerdos sit Minister Sacramenti non inferitur, debere esse in statu gratiæ ad illud ministrandum, seu conficiendum. Nec Vazquez negare poterit, hoc esse probabile, cum tot, tamque Doctores docuerint. Denique prædictæ rationes debent enervari in Sacramento matrimonii, in quo conjugales sunt ministri talis Sacramenti, & justificationis, & tamen quatenus administrant in peccato mortali, non peccant mortaliter, ut cum Soto, Ledesma, & aliis docet Thom. Sanchez supra, & cum Suarez, Bonacina, & Coninch, putat probabile. Ubi supra. (secus, quatenus in peccato mortali suspensum, quod improbabiliè negavit aliqui, sed in Sum. antiqua, verbo Sacramentum, n. 1. ut occurrit in Sum. correctæ per Victorem.) Minus igitur probabile, Ministerium Sacramenti, ex eo, quod talis sit, non teneri sub mortali se conformare Sacramento, nec ejus auctori, ac proinde ex hoc capite non probari, debere conficere in statu gratiæ.

24. Tertia ratio est Cardini de Lugo disp. 8. de sacram. sect. 9. num. 141. qui totam obligationem determinandam ait ex gravitate & sanctitate actionis, qua Sacramenta conficiuntur, & qua minister operatur in persona Christi, mediante qua, operatur gratiam habitualement. Verum, rationem istam non sufficere ad inducendam obligationem gravem, affirmant omnes, qui excusant à mortali culpa Sacerdotes, & eos administrantes baptismum in mortali, etiam si sint commode ad actum contritionis elicerem. Item omnes, qui excusant à mortali conjugales administrantes Sacramentum matrimonii in statu peccati mortali in utroque enim casu concurrunt gravitas, & sanctitas actionis, qua Sacramenta conficiuntur, & qua Minister operatur in persona Christi gratiam habitualement; & tamen non inde oritur obligatio gravis. Inficiari igitur non poterit Lugo, esse probabile, colligi ex hoc fundamento gravem obligationem conficiendi Sacramenta in statu gratiæ.

25. Quarta, & ultima traditur à Coninch de sacramentis, art. 6. num. 32. ubi ait, obligationem ministrandi Sacramentum in statu gratiæ, oriri potius ex sanctitate, & dignitate ipsius Sacramenti, quam ex minister meritis, & sanguinem Christi dispensat; idque in persona Christi, quæ immediate substat, ita ut sit unus agens cum ipso. Secundario vero, ita ut sit unus agens cum ipso. Secundario vero, quod Minister sit singularis, & quod aliquod Sacramentum consecratur ad tale munus Congessit Coninch utramque rationem, quæ una sine altera non judicavit sufficientem ad obligandum

S. IV.

Objectionibus fit satis.

nem gravem inducendam, ut constat ex doctrina, quam tradit *suprà* num. 37. Sed facile impugnatur; quia hæc secunda ratio est omnino diversa: ergo quod ex unaquaque seorsim per se colligi non potest, neque ex utraque simul colligitur. Ita in simili argumentatur Valquez *disp. 136. citata, cap. 2. num. 17.* Præterea dispensans Eucharistiam antea consecratam, dispensat realiter corpus, & sanguinem Christi: & consequenter Christi personam in munere sustinet, & exercet actum, ad quem specialiter est consecratus, ut expressè fatetur Coninch; & tamen ministrans Eucharistiam in mortali, non peccat mortaliter, ut docent Valquez *suprà* cap. 3. num. 39. Meratius de Sacramento *disp. 8. sect. 2. num. 8.* Joannes dela Cruz, Henricus, uterque Ledesma, Cabrera, & alii, quos sequitur Diana 2. p. tract. 3. *dissecellum. resolut. 13.* Ergo ex duplici ratione allata, simul sumpta, non deducitur gravis ministrandi obligatio, seu Sacramenta conficiendi in statu gratiæ. Denique impugnatur, quia Sacerdos baptizans sine solemnitate dispensat merita Christi; id quæ in persona Christi, & singulariter est consecratus ad tale munus, ut etiam concedit ipse Coninch, & tamen non peccat mortaliter ministrando in mortali, ut plures *suprà* citati docent. Ergo hæc secunda ratio insufficiens est, ad obligationem gravem inducendam.

26. Quæ hucusque congestimus, videri possent alicui efficere probabile, non esse præceptum naturale graviter obligans ministrare, seu conficere Sacramenta in statu gratiæ; nam cum præceptum naturale sit ipsa ratio naturalis obligationem inducens, & probabile sit, nullam esse rationem naturalem, quæ talem obligationem inducat, ut singulas expenderes probavimus; probabile etiam erit, nullum esse præceptum naturale. Tunc maxime, quia ubi non constat de præcepto, non est facile imponenda obligatio sub mortali, ut bene advertit Suarez *suprà* *disp. 26. sect. 3. §. De aliis vero.* Uterius, negari non potest, dubium saltem ex dictis effici tale præceptum naturale, sed in dubio, an sit præceptum, nemo illo tenetur, ut docent Sanchez in *Sum. cap. 10. num. 37.* Salas 1. 2. *quæst. 21. tract. 3. disp. unica, sect. 2. num. 258.* Suarez tom. 5. in 3. p. *disp. 40. sect. 3. num. 15.* Henriquez lib. 8. de Eucharistia, cap. 45. num. 3. in *Gloss. litt. P. P. S. a verb. Duhium, num. 2.* Ergo probabile est, ex præcepto divino, & naturali neminem sub mortali teneri administrare Sacramenta in statu gratiæ. Quod autem tale præceptum naturale sit dubium, præter dicta, suadet auctoritas Navarri, & Granados: illius, dum ait, non esse expressum; & huius, dum inquit, non esse adeo exploratum, attenta efficaciter rationis, licet certum putet propter auctoritatem: forte aliud dicturus, si auctoritatem expendisset, quam pro contraria sententia adduximus. Denique huius sententiæ probabilitas muniri videtur ex doctrina Verricelli tom. 1. *quæst. moral. tract. 2. q. 3. num. 4.* dicentis: * Signum probabilitatis intrinsecæ esse, quando Doctores communis sententiæ discordantes sunt in probanda sua opinione, & alii aliorum rationes, & fundamenta evertunt; quia tunc signum est ea fundamenta non convincere, & sic admitti posse probabilitatem oppositæ sententiæ. * Auctores autem non convenire in probanda communi sententia adstruente gratiæ statum necessitate præcepti requisitum ad Sacramentorum administrationem, sed alios aliorum fundamenta evertere, constat ex hæcenus dictis; & magis constabit ex solutione argumentorum, quibus communis sententia nititur.

27. Objicies primò, Augustinum lib. 2. contra Epistol. Parmeniani, cap. 10. post medium. Ubi inquit: Omnia Sacramenta cum obfint indignè tractantibus, profunt tamen per eos dignè sumentibus. Igitur supponit Augustinus, & dari præceptum naturale ministrandi, conficiendique Sacramenta in statu gratiæ. Verum, quod ex Augustini verbis, suaderi non possit gravis obligatio, probatur: quia solum dicit obesse indignè tractantibus, non verò obesse graviter: ergo non est, cur nos id asseramus. Dicis, id deduci ex gravitate materiæ. Sed contra argumentor à paritate. Quia licet Nicolaus Papa in cap. ultim. 25. *quæst. 8.* dixerit, adulterum Sacerdotem ministrando Sacramentum Eucharistia, se tantummodo ledere, & unde alii commodum exhibet, inde sibi dispendium præbere, nihilominus plures Doctores, quos *suprà* citavimus, docent, talem Sacerdotem non peccare mortaliter; & tamen dubitari non potest, materiam esse gravissimam: igitur idem in primo casu dicere tenetur. Si enim verba illa Pontificis: se ledere, sibi dispendium præbere: non inducunt obligationem gravem; quare illam inducent illa August. obesse indignè tractantibus: majoris enim ponderis non est verbum obesse, quàm ledere, & dispendium præbere.

28. Præterea si verba Augustini aliquid probant, planè etiam convincunt, tam Sacerdotes, quàm laicos administrantes Baptismum in peccato mortali, peccare mortaliter (imò de huius Sacramenti administratione loquebatur Parmenianus in sua Epistola, contra quam scripsit Augustinus) & tamen laici in statu peccati mortalis, seu indignè hoc Sacramentum tractantes, non peccant mortaliter, ut cum Div. Thoma, Cajetano, & Soto fatetur Suarez *disp. 16. citata, sect. 4. §. Nihilominus.* Igitur ex testimonio Augustini non bene inferitur obligatio gravis ministrandi, seu conficiendi Sacramenta in statu gratiæ.

29. Testimoniis igitur Augustini, & Nicolai Papæ responderi potest; vel ipsos loqui de ministrantibus in peccato mortali actuali (ex hac enim administratione novam culpam mortalem contrahi, docent plures huius sententiæ patroni, ut *infra* videbimus.) Secus verò de ministrantibus in peccato habituali, in quo longè minor indecentia reperitur. Vel si mavis, respondere poteris, (juxta sententiam quorundam *suprà* relata, asserentem, bonam conscientiam ministri non esse debitam Sacramento, nisi secundum quamdam decentiam) solum intervenire culpam venialem in tractatione indigna Sacramenti, quando indignitas tantum provenit ex defectu gratiæ habitualis ministri: licet enim ministratio Sacramenti sit materia gravissima in ordine ad effectum gratiæ, quam confert suscipienti, non verò talis est in ordine ad exigendum statum gratiæ ex parte ministri, ut constat in administratione Baptismi à laico, & patet ex dictis.

30. Objicies secundò plura scripturæ loca, in quibus naturale præceptum contineri videtur, ut *Malæ 51. Mandamini, qui fertis vasa Domini. Levitici 21. In censum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt Deo suo. Et cap. 22. Omnis, qui accersit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Et Exodi 19. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum sanctificantur, ne percussas eos. Cæterum in his,*

& similibus locis interdum esse sermonem de immunditia, & sanctificatione legali, seu ceremoniali, faterur expressè Suarez *suprà* sect. 3. citata, eademque videtur esse de omnibus ratio, qua fortè ductus Vasquez eis non utitur ad suam conclusionem probandam.

32. Objicies tertio. Administrare Sacramenta in statu peccati actualis; verb. grat. cum proposito, seu affectu actuali peccandi, est peccatum grave sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam: ergo & administrare cum peccato habituali, non remisso per confessionem, seu contritionem. Respondet Croufers ubi *suprà* negando consequentiam. Quia in primò casu, intervenit gravissima irreverentia, in secundò verò levis. Quam quidem sententiam, me iudice, tenent omnes Doctores *suprà* citatum. 3. qui aliquam displicentiam peccati requirunt ad ministrandum Sacramentum, quo manifestè indicant, affectum peccati actualis, dum actu administratur, importare gravem irreverentiam; quod secus judicant de administratione facta cum peccato habituali; proindeque exigunt aliquid impossibile cum peccato actuali, non curantes de forma impossibile cum habituali. Secundò respondeo per instantiam, & amice rogo: cum Sacerdos, seu laicus administrat Baptismum in peccato mortali actuali, vel delinquit graviter, vel non? Si primum: ergo bene stat, esse irreverentiam gravem administrare in peccato mortali actuali; non verò in habituali. Si secundum: ergo nunquam peccabit mortaliter Sacerdos, etiam si cum solemnitate ministrat.

S. V.

Judicium Auctoris.

33. **H**æc omnia disputationis gratia dicta sunt: Contraria enim, & communis sententia omnino tenenda est, utpotè comprobata auctoritate sanctæ Inquisitionis in Expurgatorio anni 1640. (in quo expungi mandatur ex Llamas opinio negans obligationem gravem se justficandi, ad conficiendum Sacramentum) & roborata cerro, & firmo consensu Theologorum ex D. Thom. 3. p. quæst. 64. artic. 6. in corpore, ubi sic ait: * Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccent, & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. * Quod prædixerat in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. quæstione 5. ibi: * Quicumque homo, quod sibi competit ex ordine, facit indignè; quod justum est, injustè exequitur; & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. * Quapropter, licet omnia principia ad hanc conclusionem labefactandam seorsum sumpta probabilia sint; non tamen sunt comprobabilia, utpotè ex quibus propositio probabilis deducitur. Unde omnes tenentur uni, vel alteri rationi inherentes, adversariorum fundamentum dissolvere, vel saltem conclusionem, ut certam admittentes, planè fateri, nulla ratione convincenti ad illam adduci.

34. Est tamen advertendum, his non obstantibus, probabilissimum esse, Confessarium non peccare mortaliter audiendo totam confessionem in peccato, dummodo habeat propositum præmittendæ contritionis ante absolutionem, ut docent Henri-

quez lib. 6. cap. 18. num. 6. in Gloss. litt. 7. Cardin. delago disput. 21. num. 69. Diana 1. p. tract. 7. resol. 47. quæ irreverentia in eo consistit, quod Minister non agit gratia, quando illam operatur: hoc autem præstat quando absolvit, ac proinde sufficit, quod tunc gratia statum consequutus fuerit.

QVÆSTIO II.

Utrum ob gravem metum liceat uti simulatione, in administratione Sacramentorum?

1. **C**ommunis Doctorum sententia negat, quæ ad eam certam putat Palaeus tom. 1. tract. 1. p. 13. num. 8. ut contrariam, non tenent dicere, audaciam, & temeritatem videri reprobam. 2. Verum aliis rigida valde hæc censura videtur, & talem putavit Antonius de Escobart tom. 1. Theol. moral. lib. 1. sect. 2. Problem. 26. fol. 27. * Mihi certe videtur, mei amicissimi Patris Ferdinandi Casti Palaei vocantis primam sententiam audacem, & temerariam, nimum rigida censura videtur, dum legem vestros Doctores, affirmantes in quibusdam eventibus licere hostiam non consecratam pro consecratione porrigere, quæ proculdubio major est simulatio. * Sic ille, vel idè ab imperito Neotherico fugillatur. 3. Quapropter duplex in præsentiarum enucleanda verè difficultas. Prima, an in aliquo casu liceat hostiam non consecratam, veluti consecratam peccatori occulto ad vitandam infamiam porrigere? Secunda, an hoc negato, liceat nihilominus in administratione Sacramentorum simulationem?

S. I.

De subrogatione Hostia non consecrata, quod nonnulli senserint?

4. **P**rimam difficultatem versat M. Petrus de Ladesma 1. p. Summ. capite 12. de Eucharistia. §. 1. ubi licet negativam partem amplectatur, plures tamen, & graves Doctores pro affirmativa in iustas resert. * La septima duda (inquit) es, si es licito en algun caso comulgar a uno con hostia, que no es consecrada? En esta duda algunos tienen, que lo es, si lo tiene Alcihodorensis. Y San Buenaventura dice, que es licito, si se haze con consentimiento de peccador. Y lo mismo ensenna Adriano. * Cumque bus sentit M. Christophorus Jabellus tom. 1. Philosophia Christiana, p. 5. tractat. 4. capite 6. num. 50. postquam statuit, peccatori si dicitur in iustis, hostiam non consecratam porrigere non licere; ait: * Si quis autem esset, si ipse peteret, sibi dari hostiam consecratam, ne indignè sumat corpus Domini, tunc enim sibi dari posset, ita tamen quod talis hostia ponatur seorsim à consecratis, ne Ecclesia decipiendo ei non consecratam, ac si esset consecrata, se daret. Et ante illum Albertus Magnus apud Suarez in Eucharistia disputat. 67. sect. 4. Quos sequitur V. Illud in Summ. tom. 1. tractat. 7. diff. 38. num. 7. fol. 100. ubi sic: * No es licito darle la hostia no consecrada, por el peligro que ay de idolatria, como non lo es la hostia. Mas si la forma que le ha de dar, la tiene consecrada, de manera, que los fieles no la pudieran adorar.